P.P. DE LATINIS SS. BIBLIORUM INTERPRETIBUS SENTENTIA. NICEPHORI CP...

Pierre Pithou, Nicephorus, Anastasius : Bibliothecarius

Digitized by Google

NIC. FABRO S.

CVM nuper de Latinis ſacrorum Bibliorum Interpretibus mentio incidiſſet, ſubijt recordatio eorum, quæ ante annos aliquot de quæſtione iactata excuſſaq; toties, necdum, quod ſciam, ſatis definita, inter ſchedas ſparſim adnotaram. Quæſiui, collegi, deſcripſi: atque vt ab ijs, quorum præcipue de ea re iudicium eſt, recenſerentur, in pauca exemplaria transferri paſſus ſum. Te vero cuius non ſolum doctrinæ & eruditioni ſummæ, ſed & pietati ac probitati ſingulari multum merito defero, eis interim ſequeſtrem vel patronum potius deſtinaui. Et vt ne noſtra hæc ſua ſolitudine terrerentur, ſed miſtura magis ſtarent, comitem adiunxi Nicephori Patriarchæ CP. Canonem ſcripturarum, quo velut capite, in vetuſto codice Regio Chronologia eius ſic clauditur, vt a doctiſſimis hominibus, qui reliquo operi manus antea commodarunt, vitio exemplarium prætermiſſum appa-

reat. DefeƈtumetiamaliquaparteRegij illius Medicei,cuius vſum Io. Baptiſtæ Benciuennij Abbatis humaniſsimi liberalitati acceptum referrepar eſt,ex Latina Anaſtaſij Bibliothecarij interpretatione, quæ in noſtro quodam integriore ad finem Eccleſiaſticæ ex Georgio ac Theophane hiſtoriæ extabat,ſupplere conatus ſum, ea fide vt indiculo potius auƈtorum, vnde recenſeri iſta atque emendari poſſent, quã certis aut probabilibus conieƈturis locum darem. De Græcis autem Interpretibus nihil nunc quidem adijciendum putaui ad ea,quæ in Procopium ſuum Curterius noſter præfatur pluribus : cui ſane eſt & quod gratulemur mortuo ampliſsimum breuiatorem contigiſſe. Tu vero B.V.

DE LATINIS SACRORVM BIBLIORVM INTERPRETIBVS, P.P. ſententia.

APVD Latinos [a] olim ſacrarum Scripturarũ pæne tot fuerunt exẽplaria quot codices, cum vnuſquiſque pro arbitrio ſuo adderet, ſubtraheretue quod ei viſum eſſet. De quo & B. Auguſtinus cõquerens, Qui ex Hebræa (inquit [b]) lingua Scripturas in Græcam verterunt, numerari poſſunt: Latini autem nullo modo; ſed vt cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum ſibimet facultatis vtriuſque linguæ habere viſus eſt, auſus eſt etiam interpretari. Inter eam tamen interpretationum infinitam varietatem, quod & idem [c] ſubijcit, Italica ceteris præferebatur, vt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ. Ea autem videtur fuiſſe, quæ & Vetus & Vulgata dicitur Hieronymo[d], Oroſio[e], Gregorio[f]: quã & tanti fecit Ambroſius [g], vt omnibus Græcis quaſi minus corruptam, aliquando præpoſuerit. Ex ea putantur eſſe quæ in Speculo Auguſtini nomine, de vtriuſque Teſtamenti voluminibus referuntur, quamuis cum noſtra communi nonnihil conueniant. Sane quæ in eo de Pſalmis legũtur, eſſe ex interpretatione illa ad Hebraïcam veritatem, quæ B. Hieronymo adſcri-

[a] *Hieron. præfat. in Ioſue.*

[b] *L. 2. de doctr. Chr. c. 11. et Iſid. de Ecc. off. l. 1. c. 12.*

[c] *C. 15. et l. 18. de ciuit. c. 43.*

[d] *In c. 14. & 46 Eſaiæ.*

[e] *Apologia de arbitrij libertate c. 5.*

[f] *In præf. Moralium.*

[g] *In c. 5. ad Rom.*

bi ſolet, nemo inficias ierit.

Idem Hieronymus vetus Teſtamentum in Latinam linguam bis conuertiſſe videtur. primum quidem ex Græcis, ſiue ex LXX. additis obelis & aſteriſcis: cuius tranſlationis ipſe meminit præfatione in Iobū, & lib. I. in Rufinum, itemque epiſt. ad Auguſtinum, & Auguſtinus epiſtola ad ipſum. Deinde vero ex Hebræo ſiue iuxta Hebraicam veritatem, ſicut idem de ſe ſcribit in libro de Tractatoribus. Quod primum illum ex Latinis præſtitiſſe Auguſtinus teſtatur lib. 18. de ciuit. Dei.

Eod. lib. de illuſt. ſcript. & in præfat. Euangeliorū ad Damaſum.

Nouum Teſtamentū ipſe etiā ſe Græcæ fidei reddidiſſe ait, calamo ita tēperato, vt ijs tantū quæ mutare ſenſum videbantur, correctis, reliqua manere pateretur vt fuerant. Itaque emendationem tantum noui Teſtamēti appellat epiſtola ad Auguſtinum.

In præf. Mor. & l. 20. c. 24.

Vtraque editione, id eſt, & antiqua illa, & Hieronymiana, temporibus Gregorij P P. I. Eccleſia Romana vſa eſt, quod ipſe Gregorius teſtatur, ita tamen vt præ Hieronymiana, vetus illa non omnino obſoleſceret.

Epiſt. ad Sophronium.

Nos hodie, quod ad vetus Teſtamentum attinet, Pſalterio vtimur, non illo quod Hieronymus ex Hebræo tranſtuliſſe ſe ait rogatu Sophronij, quodque inter eius opera hodie legitur, & ab ipſo Enchiridium appellatum fuit: ſed nec illo ex Græcis, ſiue ex lxx. aut ex Origenis hexaplis, cuius in epiſtola ad Suniam & Fretellam meminit, quod Romani nomine à Io. Fabro Stapulenſi editum eſt: verum alio

22

quodam communi & vulgato ex Græca communi ac vulgata Luciani martyris editione, aliquantulum diuerſa ab hexaplis, & lxx. Quod Pſalterium idem Hieronymus bis emendauit, vt eadem epiſtola teſtatur. primum quidem Romæ poſitus, quod Romanum ob id melius dici exiſtimo: poſtea in Bethlehemitico ſeceſſu, cuius emendatio, vt plus aliquanto lucis, ſic minus nouitatis habere viſa eſt. Hoc ipſum eſt, quod Gallicum Pſalterium appellatur: credo, quod eo Galli primum ac potiſſimum vſi ſunt: apud quos hodieque nonnulla exemplaria extant, Hieronymianas notas, id eſt lineas, obelos, aſteriſcos retinentia, quæ tamen in pleriſque alijs temporum iniuria incuriaque ſcriptorum adijci tandem deſierunt. A Gallis illud non Romani ſolum, ſed & Hiſpani tandem ſub Gregorio VII. acceperunt, de quo non ſine iniuria Rodericus Toletanus Archiepiſcopus conqueritur. Ceterum eam editionem primum à Georgio Florente Gregorio, Turonenſi Archiepiſcopo ex partibus Romanis in Gallias allatā vnus, quod ſciam, VValafridus Strabo prodidit libello de reb. Eccleſiaſt. Romanum vero Pſalterium etiam Romanæ ipſi Eccleſiæ in vſu eſſe deſijt poſt tempora Gregorij PP. I. præterquam in officio Romano, id eſt in introïtibus, gradalibus, ſecretis ſiue ſuperoblatis, præfationibus, & cōmunionibus, poſtcommunionibuſque ſeu completis vel concluſionibus Miſſarum, ſi quæ ex illo ante deſumpta fuerant, & in vnico Pſalmo inuitato-

Lib. 6. hiſt. Hiſp. c. 26.

Vide Radul. Tūgrenſ Decan. de canonū obſeruantia propoſ. 8.

rio,qui etiamnum ad Matutini initium ex Antiphonario integre vſurpatur. Ex quo apparet non absre Sacramentorum lectionarioſque & antiphonarios libros, ordinis quidé Ro. à Walafrido ceteriſque officiorum Eccleſiaſticorum ſcriptorib. Gregorio Papæ tribui, quãuis à Grimoldo abbate, Albino Flacco qui & Alcuinus, Karoli magni præceptore, Amulario Treuerẽſi, alijſq; poſtea auctos conſtet. Ante eos idem ille Turonenſis Gregorius de curſibus (vt ipſe loquitur) Eccleſiaſticis librum condiderat, & Miſſas à Sidonio Apollinari compoſitas coniunxerat, addita operi præfatione: quod de ſe
1. & 10. ipſe teſtatur in libris hiſtoriarũ. Ambroſianos etiã(quo nomine Mediolanẽſis Eccleſia ſignificatur) alia quadã tranſlatione Pſalterij, eaque propria vſos Radulphus Tungrenſis Decanus propoſitione 8. de Canonũ obſeruãtia tradit.

Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici & Machabæorum, ſed & Eſdræ Scribæ tertium, ſeu potius Prophetæ primum (quem doctiſſimi quidam viri, memoriæ credo potius quam ignorationis vitio, Græce extare negarunt: alij etiam in Græcorum Bibliorum editione ſiue conſilio, ſiue incuria omiſerunt) habemus ex antiqua tranſlatione mera, qua & Tertullianus, & Cyprianus, alijque patres Hieronymo antiquiores vſi ſunt: cuius auctor ignoratur. Sed nec in eos libros vllæ præfationes extant Hieronymi nomine, à quo etiã pro apocryphis aliquando habitos nullus, puto, negauerit. Sane quidem, vt & hoc obiter dixerim, quod apud

23

apud Ioſephū lib.II.contra Appionē,in Græco exemplari Baſileæ edito, ex Eccleſiaſtici cap. XLII. in mulieres dictum legimus, aliunde irrepſiſſe,præter argumenti ipſius & tractationis rationem,vetuſtior Rufini interpretatio facit vt extra calumniæ ſuſpicionem facile admittam. De illo vero qui tertij Machabæorum nomine à nonnullis Ioſepho, ab alijs Philoni Alexandrino longe probabilius ex ſtyli ſimilitudine adſcribitur: nec iſtam coniecturam temere reijciendam cenſeo,librum eſſe videri illum qui à B. Hieronymo in prologo, quem ſcholaſtico Rhetorū vocabulo, Galeatū, quaſi communem inſcripſit,inter veteris Inſtrumēti reliquias Tobiæ ſubiungitur Paſtoris nomine, ἀπὸ τῆς πασίδης, nempe à nota loci, in quo Simeon cum ſuis pio & magno animo obieciſſe ſe Ptolemæo ingredi Sanctuarium volenti eo potiſſimum ſcripto narratur. quod tamen annis plus minus L. ante quam in Iudæa Machabæorum nomen audiretur, factum oportuit: id eſt,circiter Olympiadē CXL. vt & Euſebius in Chronicis notauit. Certe Hieronymi verba ad Hermæ diſcipuli ſiue Paſtoris librum Tertulliano, Origeni, alijſque laudatum referre, præter communem ſenſum non immerito videatur. Sed ad rem propius.

Quartum Eſdræ librum, & Manaſſæ regis orationem,qui Latine tantum editi ſunt (quāquam orationis quidem vnum atque alterum exemplar Græcum extare dicitur) ex antiqua eſſe tranſlatione plura illa conuincunt, quæ ex

eodem Eſdræ libro ab Ambroſio referũtur iiſdẽ omnino verbis. Nam Tertulliani & Cypriani quæ videntur inde etiam tacitis nominibus mutuata, vereor ne alius aliò referat. Hieronymus quidem vt tertium, ſic quartum Eſdræ ſomnia cenſuit. vtrumque tamen Græcos ſua lingua habuiſſe vel illa arguunt, quæ ex quarti capite quinto Græce referũtur a T. Flauio Clemente de vera philoſophia commentariorum ſcientiæ ϛρωματέων libro III.

Iſidor. lib. 1. de Eccl. off. c. 13. Reliqua veteris Tęſtamenti quæ ex Hebræo vnus primuſq; Latinorũ Hieronymus trãſferre auſus eſt, id eſt Pentateuchũ, Ioſue, Iudices, Reges, Paralipomena, Eſdræ & Nehemię volumẽ ſiue Sacerdotes, Tobiã, Iudith, Eſther, Iobum, Prouerbia & Eccleſiaſten Salomonis, Iſaïam, Hieremiam, Ezechielem, & Prophetas reliquos XII. qui minores dicuntur, habemus, opinor, omnia ex tranſlatione de Hebræo fonte Hieronymi: cuius etiam in eoſdem libros præfationes leguntur: extant & commentarij in eorum pleraque, in quibus nonnullos interpretationis ſuæ errores prodit ipſe, emẽdatque vltro. *Vt in Iſa. c. 19. & Hiere. c. 6.* Quanquam de Iobo pridem Iac. Faber præfatione quadam in Pauli epiſt. admonuit reperiſſe ſe inter veterũ codicũ aceruos tranſlationem illam Hieronymi ab Auguſtino laudatam, aliam ab ea quã vſus habet Eccleſiarum. Sed eum librum a Hieronymo non ſemel verſum conſtat.

Iam quod ad nouũ Teſtamentum ſpectat, Euãgelia quatuor, quæ olim codice ſuo ſeiun-

24

gi à reliquis Apoſtolicis ſolebant, habere videmur ex vulgata illa editione veteris tranſlationis, a Hieronymo tamen recognitæ & emendatæ iuſſu Damaſi P P. ad quē extat præfatio, in qua ſe quædā reliquiſſe teſtatur, quæ tamen corrigenda putabat, ne nimis multa immutaſſe videretur: de quibus etiam in commentarijs, alijſque ſcriptis ſuis interdum libere admonet. Eam emendationem auctoritate Pontificis R. fultam Auguſtinus iam ſuis temporibus etiam in Africa pluribus admodum placuiſſe teſtatus eſt. In orationis tamen Dominicæ recitatione ex Matthæo, emendatio Hieronymi, qui pro pane quotidiano (vt Latinos iam olim poſuiſſe Victorinus Afer auctor eſt) ſuperſubſtātialem repoſuerat, nec populi, nec Eccleſiæ ipſius catholicæ vſu publico recepta fuit, quamuis in vulgatis Euangeliorū exemplaribus huc vſque ſcripta remanſerit.

Beda præfat. retract. in Acta.

Epiſt. 10.

Lib. 2. ad. Ar.

At, quod ad reliquos noui Teſtamēti libros, id eſt Actus Apoſtolorū, Epiſtolas Pauli, Petri, Iacobi, Iudæ, atque Apocalypſim, an eos ex B. Hieronymi emēdatione habeamus, mihi quidē non ſatis liquet: præſertim cū Hieronymus ipſe quædam ex illis longè aliter quam in noſtris exemplaribus legantur, referat in libris aduerſus Iouinianum & commētarijs in Eſaïam, itemque Epiſtola ad Euagrium, & ea quæ ad Damaſum eſt, cuius initium, Septuaginta. ſed & lib. 1. aduerſus Pelagianos, & in catalogo alijſque locis pluribus, & Latinū interpretem ſiue vulgatam editionē in pleriſque notet, quæ

in noſtra hodieque legimus. Quo fit vt Fabr noſtri boni profectò ac pij & bene docti viri ſententiæ potius adquieſcam.

Certe in ijs quæ ex epiſtolis Iohãnis referuntur, minus eſt aliquãto diuerſitatis, in quib. etiã pauciora ſe mutaſſe præfatione Commentariorum ſuorum in Canonicas ſcribit: vt veriſimile mihi ſit, in ijs vti nos vetere illa tranſlatione vel mera, vel ab alio quopiam poſt Hieronymi tempora recenſita.

Itáque temperandum videtur quod indiſtinctius paullo Iſidorus lib. 6. Etymol. c. 5. & lib. 1. de diuin. Off. c. 12. ac poſt eum Rhabanus Maurus lib. 2. de Inſtit. cleric. c. 54. alijque non pauci tradiderunt, editione Hieronymi omnes omnino Eccleſias generaliter vti.

Porro tranſlationes illas Latinas librorum veteris Teſtamenti, quas Hieronymi non eſſe diximus, ſed & Noui eas quas idem recognouit tantum emendauitque, non eſſe vnius interpretis, ſtyli diuerſitas ſatis arguit. Certe verſionem Eccleſiaſtici plura habere antiquæ eruditionis, eam vero quæ eſt Actorum Apoſtolicorum reliquis elegãtiorem puriorémque eſſe facile agnoſcet, qui propius attenderit.

Communi autem illa editione Bibliorum, quæ nunc in vſu publico eſt toti Latinæ Eccleſiæ, & B. Hieronymi, maiore ſaltem parte, eſſe putatur, primi vſi videntur ex vetuſtioribus Theologis Saluianus Maſſilienſis, Eucherius Lugdunenſis, Proſper Aquitanus Regij Galliæ Epiſcopi, Leo P P. 1. Fulgentius Afer

25

Ruſpenſis, Petrus Chryſologus, & poſt eos Gregorius cognomento Magnus. Nam quod ad Aur. Auguſtinum attinet, magni apud me momenti eſt Eccleſiæ Lugdunenſis iudicium, quæ in Synodicis contra Iohannis Scoti, & aliorum quorundam de libero arbitrio & prędeſtinatione errores Epiſtolis, libellum illum olim Hypomneſticon inſcriptum, qui nunc Hypognoſtici titulo Auguſtini etiam nomine legitur, falſo illi tribui hoc potiſſimum argumento cenſuit, quod teſtimonia ſcripturarum ex noua, qua vtimur, editione (Hebraicam vocat) in eo adſumantur: cum Auguſtinus cõtra hæreticos diſſerens, vel de cauſis fidei agẽs, ſemper, inquit, ex antiqua cõuinceret cõtradicẽtes, & ex eadẽ inſtrueret fideles. De Epiſtolis vero quæ Pontificum Romanorum a Clemẽte ad Damaſum nomine inſcriptæ leguntur, in quibus & ex eadem longe illis poſteriore interpretatione teſtimonia Scripturarum relata extant, alius erit, dante Domino, commodior dicendi locus. Hic illud adieciſſe ſufficiat, ad noſtram etiam ætatem antiquiores quaſdam Galliarum Eccleſias, monaſteriaque nonnulla conſeruaſſe ſibi exemplaria veterum illarum tranſlationũ, ſiue editionum, quæ ante Hieronymi ætatem in vſu fuerant. Atque inter cetera videre hodieque eſt integra fere Biblia minoribus literis, ſed & Pſalteriũ ijs quas vnciales vocarunt, argenteis, partem etiam Euangeliorum aureis, vtraque in purpureis mẽbranis deſcripta, inter reliquias librorũ monaſte-

rij S. Germani Pariſ. quæ beati illius præſulis fuiſſe, poſteri per manus ſibi traditũ aſſerunt.

Vidimus & nos aliquando vetuſtiſſimum exemplar Euangeliorum literis illis maioribus exaratum, adiectis e regione Græcis, quod olim fuiſſe dicebatur Eccleſiæ Lugdunenſis. Vidimus & aliud Epiſtolarum eiuſdem formæ & ætatis ex Corbeiæ maioris Galliæ monaſterio: quæ tanquam ſanctioris antiquitatis κειμήλια, nõ ſine religione & ſuſpicimus & veneramur.

NICEPHORI PATRIARCHAE CP. CANON SCRIPTVRARVM.

Ex veteri codice.

NICEPHORI PATRIARCHÆ CP.

ΟΣΑΙ ΕΙΣΙΝ ΘΕΙΑΙ ΓΡΑΦΑΙ ΕΚΚΛΗ-σιαζόμεναι καὶ κεκανονισμέναι, καὶ τούτων στιχομετρία, τούτως.

α′	Γένεσις	CTIXOI	,ατ′
β′	Ἔξοδος	CTI	,βω′
γ′	Λευιτικὸς	CTI	,βψ′
δ′	Ἀριθμ.	CTI	,αφλ′
ε′	Δευτερονόμ.	CTI	,ϛρ′
ϛ′	Ἰησοῦς	CTI	,βρ′
ζ′	Κριταὶ καὶ Ῥούθ	CTI	,βυ′
η′	Βασιλειῶν πρώτη καὶ δευτ.	CTI	,βσμ′
θ′	Βασιλειῶν τρίτ. καὶ τεταρ.	CTI	,β *
ι′	Παραλειπομ. α′ καὶ β′	CTI	,εφ′
ια′	Ἔσδρας α′ καὶ β′	CTI	,εφ′
ιβ′	Βίβλος ψαλμῶν	CTI	,εφ′
ιγ′	Παροιμίαι Σολομῶντ.	CTI	,αψ′
ιδ′	Ἐκκλησιαστὴς	CTI	φ′
ιε′	Ἆσμα ᾀσμάτων	CTI	σπ′
ιϛ′	Ἰὼβ	CTI	,αω′
ιζ′	Ἠσαΐας ὁ προφήτης	CTI	,ϛω′
ιη′	Ἱερεμ. ὁ προφ.	CTI	,δ
ιθ′	Βαροὺχ	CTI	ψ′
κ′	Ἰεζεκιὴλ	CTI	,δ
κα′	Δανιὴλ	CTI	,β
κβ′	οἱ ιβ′ προφῆται		

Ὁμοῦ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία κβ′.

ANASTASII S.R.E. BIBLIOTHECARII EX NICEPHORO C̄P. PATRIARCHA.

HÆ ſunt diuinæ ſcripturæ, quæ recipiuntur ab Eccleſia & canonizãtur, quarum & numerus verſuum eſt vt ſubijcitur.

I	Geneſis	Verſus	$\overline{\text{IIII}}$ CCCC
II	Exodus	V.	$\overline{\text{II}}$ DCCC
III	Leuiticus	V.	$\overline{\text{II}}$ DCC
IIII	Numeri	V.	$\overline{\text{III}}$ D
V	Deuteronomium	V.	$\overline{\text{III}}$ C
VI	Iheſus	V.	$\overline{\text{II}}$ C
VII	Iudices & Ruth	V.	$\overline{\text{II}}$ CCCCL
VIII	Regnorum primus et ſecundus	V.	$\overline{\text{II}}$ CCXL
VIIII	Regnorũ tertius & quartus	V.	$\overline{\text{II}}$ CCCXXX
X	Prætermiſſorũ primus et ſecundus	V.	$\overline{\text{V}}$ D
XI	Heſdras primus & ſecũdus	V.	$\overline{\text{V}}$ D
XII	Liber Pſalmorum	V.	$\overline{\text{V}}$ D
XIII	Prouerbia Salomonis	V.	$\overline{\text{I}}$ DCCVIII
XIIII	Eccleſiaſtes	V.	DCCL
XV	Cantica Canticorum	V.	CCLXXX
XVI	Iob	V.	$\overline{\text{I}}$ DCCC
XVII	Hyſaias	V.	$\overline{\text{IIII}}$ DCCC

Hi autem ſunt noui Teſtamenti.

I	*Euangelium ſecundum* Matthæum	V. $\overline{\text{II}}$ D
II	*Euangelium ſecundum* Marcum	V. $\overline{\text{II}}$
III	*Euangelium ſecundum* Lucam	V. $\overline{\text{II}}$ DC
IIII	*Euangelium ſecundum* Iohannem	V. $\overline{\text{II}}$ DCCC
V	*Actus* Apoſtolorum	V. $\overline{\text{II}}$ DCCC
VI	Pauli *Apoſtoli epiſtolæ* XIIII.	V. * CCC *
VII	Catholicæ *epiſtolæ*. Iacobi *vna* : Petri *duæ* : Iohannis III. Iudæ *vna* : *ſimul ſeptem, verſus vero* $\overline{\text{I}}$ CCC.	

Simul veteris quidem Teſtamenti libri XXII. & Noui VII. *vt ſupra monſtratum eſt.*

Et qui veteris ſunt, quibus contradicitur, & non recipiuntur ab Eccleſia.

I	*Machabæici tres*	V. $\overline{\text{VII}}$ CCC
II	*Sapientia* Salomonis	V. $\overline{\text{I}}$ C
III	*Sapientia* Iheſu Syrac	V. $\overline{\text{II}}$ DCCC
IIII	*Pſalmi* & Cantica Salomonis	V. $\overline{\text{II}}$ C
V.	*Heſter*	V. CCCVIII
VI	*Iudith*	V. $\overline{\text{I}}$ DCC
VII	*Suſanna*	V. D
VIII	*Tobe* & Tobias	V. DCCC

Et quibus Noui *Teſtamenti contradicitur.*

I	*Apocalypſis* Iohannis	V. $\overline{\text{I}}$ V
II	*Apocalypſis* Petri	V. $\overline{\text{IIII}}$ DCCC
III	*Barnabæ* Epiſtola	V. $\overline{\text{I}}$ CCCVI
IIII	*Euangelium ſecundum* Hebræos	V. $\overline{\text{II}}$ CC

Εἰσὶν δὲ τῆς νέας διαθήκης ταῦτ.

α'	Εὐαγγελ. κατὰ Ματθ.	ΣΤΙ	,βφ'
β'	Εὐαγγελ. κατὰ Μάρκον	ΣΤΙ	,β
γ'	Εὐαγγελ. κατὰ Λουκᾶν	ΣΤΙ	,βχ'
δ'	Εὐαγγελ. κατὰ Ἰωάννην	ΣΤΙ	,βτ
ε'	Πράξεις ἀποστόλων	ΣΤΙ	,βω
ς'	Παύλου ἐπιστολαὶ ιδ'	ΣΤΙ	,ετ'
ζ'	Καθολικαὶ ζ'. Ἰακώβου α'. Πέτρου β'. Ἰω. γ'. Ἰούδα α'.		

Ὁμοῦ τῆς νέας βιβλ. κς'.

*

Καὶ ὅσαι ἀντιλέγονται αὐταί εἰσιν τῆς παλαιᾶς.

α'	Μακκαβαϊκὰ τρία	ΣΤΙ	,ζτ'
β'	Σοφία Σολομῶντος	ΣΤΙ	,αρ'
γ'	Σοφία Ἰησοῦ τοῦ Σιράχ	ΣΤΙ	,βω'
δ'	Ψαλμοὶ καὶ ᾠδαὶ Σολομῶντος	ΣΤΙ	,βρ'
ε'	Ἐσθήρ	ΣΤΙ	τη'
ς'	Ἰουδὶθ	ΣΤΙ	,αψ'
ζ'	Σωσάννα	ΣΤΙ	φ'
η'	Τωβὶτ καὶ Τωβίας	ΣΤΙ	,ερ'

α'	Ενὼχ	CTI	,δώ
β'	Πατριάρχαι	CTI	,ερ'
γ'	Προσευχὴ Ιωσὴφ	CTI	,αρ'
δ'	Ανάληψις Μωύσεως	CTI	,αυ'
ε'	Διαθήκη Μωύσεως	CTI	,αρ'
ς'	Αβραὰμ	CTI	,ατ'
ζ'	Ελδὰδ καὶ Μωδὰδ	CTI	υ'
η'	Ηλίας προφητ.	CTI	τις'
θ'	Σοφονίου προφητ.	CTI	χ'
ι'	Ζαχαρίου πατρὸς Ιωάννου	CTI	φ'

ιά Βαρὺχ, Αμβακοὺχ, Εζεκιὴλ καὶ Δανιὴλ ψευδεπίγραφα.

Καὶ ὅσαι τῆς νέας εἰσὶν ἀπόκρυφα.

α'	Περίοδοι Πέτρου	CTI	,βψ'
β'	Περίοδος Ιωάννου	CTI	,ςχ'
γ'	Περίοδος Θωμᾶ	CTI	,αχ'
δ'	Ευαγγέλιον κατὰ Θωμᾶν	CTI	,ατ'
ε'	Διδαχὴ ἀποστόλ.	CTI	ς'
ς'	Κλημέντ. λβ'	CTI	,βχ'

ζ' Ιγνατίου, Πολυκάρπου, Ποιμένος καὶ Ερμα.

Et quæ ſunt Apocrypha Veteris.

I	*Enoch*	*Verſus*	$\overline{\mathrm{I}}$ V
II	*Patriarchæ*	V.	$\overline{\mathrm{IIII}}$ DCCC
III	*Oratio Ioſeph*	V.	$\overline{\mathrm{V}}$ C
IIII	*Teſtamentum Moyſi*	V.	$\overline{\mathrm{I}}$ C
V	*Aſſumptio Moyſi*	V.	$\overline{\mathrm{IIII}}$ C
VI	*Abraham*	V.	CCC
VII	*Elad & Modab*	V.	*
VIII	*Heliæ Prophetia*	V.	CCCXVI
VIIII	*Sophoniæ Prophetia*	V.	DC
X	*Zachariæ patris Iohannis*	V.	D
XI	*Baruch, Abacuch, EZechiel falſa ſcripta.*		

Et quæ noui ſunt Aprocrypha.

I	*Itinerarium Pauli*	V.	$\overline{\mathrm{III}}$ DC
II	*Itinerarium Petri*	V.	$\overline{\mathrm{II}}$ DCCC
III	*Itinerarium Iohannis*	V.	$\overline{\mathrm{II}}$ D
IIII	*Itinerarium Thomæ*	V.	$\overline{\mathrm{I}}$ DC
V	*Euangelium ſecundum Thomam*	V.	$\overline{\mathrm{I}}$ CCC
VI	*Doctrina Apoſtolorum*	V.	CC
VII	*Clementis* XXXII	V.	$\overline{\mathrm{II}}$ DC
VIII	*Ignatij, Polycarpi, Paſtoris.*		

Digitized by Google

Index quorundam locorum, qui ad canones ſacrarum Scripturarum pertinent.

Hebræorũ, apud Ioſephũ li.1. Antiq.adu.Appion.

Eccleſ. Oriental.

Can. 85. eorum qui Apoſtolorum dicuntur.

Melitonis Sardicenſis, apud Euſeb. lib. 4. c. 26.

Origenis Homil. 7. in Ioſue, & apud eundem Euſebium lib. 8. c. 25.

Nicenæ ſynodi can. cuius apud vnũ Hieronymũ mentio, præfat. in Iudith.

Laodicenæ, can. LX. qui tamen in Latino corpore non eſt.

Athanaſii Alexandrini, Synopſi, quæ a Theodoro Balſamone canonica appellatur.

Epiphanii in lib. de ponderib. & menſur.

Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi 4.

Gregorii Nazianzeni Theologi verſus de libris authenticis.

Amphilochii ad Seleucum de iiſdem, quorum & Balſamon meminit.

Synodi ſextæ quæ eſt CP. III. in Trullo, can. 2. qui ad Concilia, & Decretales Epiſtolas pertinet.

Nicephori CP. Archiepiſcopi ad finem Chronologiæ.

Nicephori Calliſti Xantopuli verſus iambici de eadem re.

Io. Damaſceni lib. 4. de fide cath. c. 18.

Occidental. Eccleſ.

Irenæi Lugdun. apud Euſebiū lib. 3. Hiſt. eccl. c. 25.
Hilarii Pictauienſis præfat. in Pſalm.
Philaſtri Brixienſis lib. de hæreſib.
Concilii Carthaginienſis III. can. 47. in Latinis codicib. Nā in Græcorū Nomocanonio diuerſus eſt, maxime quod ad libros de Machabæis: quos tamen ab Eccleſia ſaltem Africana receptos teſtatur Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei, c. 36.
Hieronymi in prologis, & apud Caſsiodorum lib. de diuinis lectionib. c. 12.
Auguſtini lib. 2. de doctr. Chr. c. 8. Itemque contra aduerſarium legis & Prophetarum: & Serm. 119. de tempore. ſed & lib. 15. de ciuit. Dei, c. 25. & Epiſt. 119. & apud eūdem Caſsiodorum c. 19.
Iunilii Afri lib. 1. Inſtructionum.
Antiqui interpretis apud Caſsiodorum. c. 14.
Rufini Aquileienſis comment. in Symbolum.
Gelaſii Papæ, ſiue Synodi Rom. LXX. Epiſcoporū, diſt. 17. c. Sancta.
Innocētii PP. 1. in epiſt. ad Exſuperiū Epiſc. Thol.
Caſsiodori lib. diuin. Inſtit.
Iſidori lib. 1. de Eccleſ. offic. & lib. 6. Etymol. & lib. Procemior.
Rhabani Mauri lib. II. de Inſt. cler.